

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Ars Semper Gavdendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventvales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificivm In Conscientiae Recta Efformatione  
inuentum, & per Adventvales Conciones expositum ac demonstratum

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1667**

§. VI. Exponuntur regulae aliquot generales, secundùm quas Examen  
Conscientiae instituendum est, & in Examine de peccatis commissis est  
judicandum. Ac primò quidem quid à magnis diuturnisque ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11367**

## S. VI.

*Exponetur regula aliquot generales, secundum quas examen  
Conscientiae instituendum, & in examine de peccatis  
commissis est judicandum. Ac primò quidem,  
quid à magnis diuturnisque peccatoribus sit  
obseruandum.*

43. **T**andem videtur nunc res & oratio postulare, ut quæ demum diligentia examini adhibenda, & quo pacto de peccatis commissis judicandum sit à Conscientiâ, antequam Sacerdoti per Confessionem Sacramentalem exponantur, explicemus. Et quoniam de peccatis manifestè à Conscientiâ deprehensis nullum est dubium, nullus mihi de iis erit deinceps sermo, vt qui quæ huc spectant, jam exegerim. Rursus neque cùm de diligentia examinis Confessioni præmittendi agimus, de iis loquimur qui multo jam vitæ tempore in omnia sese promiscue dederunt scelera, Dei hominumque contemptu pari; neque umquam interea, aut raro, aut certè admodum perfunctoriè poenitentiam egere vitæ tam nefariæ peractæ, aut potius perditæ. Istud enim satis constat, vti exacta omnino debet esse peccatorum expositiō, ita & eorundem inquisitionē plus temporis & studij requiri. Quantum autem id sit, pro hominis conditione statuendum est, rerumque actarum multititudine & pondere. Alia enim facienda est accuratiorque disquisitio ab eo, qui in rebus publicis, iisque aut Justitiæ aut rei pecuniariæ, dudum, & mala fide versatus est, alia ab eo qui domesticis tantum intentus, otiosam penitus duxit vitam. Aliter etiam agendum est ab eo, qui vni tantum vitio inhæsit, cætera vir probus; aliter enim verò ab eo, cui nihil nefas fecit peccandi libido & intemperantia. Pro variâ itaque hominum conditione determinanda hæc sunt. Neque si dies aliquot seriò & vigili curâ pristinæ vitæ meditandæ impenderit is, qui in sceleribus totus fuit, à tam utili disquisitione amouendus est, donec moralem (id est eam quam prudens beneque consiliatus in tanti momenti negotio, curam adferret) Qui dies  
peccatis &  
diuersis in-  
hacerunt,  
exactam  
faciant cri-  
minum  
disquisicio-  
nem.

sibi

*guam & sibi aut sapienti Confessario adhibuisse visus fuerit : sic ut nihil sponte suā intactum reliquerit, atque omnia quantum sibi videtur, bonā fide, in memoriam reuocarit.*

*Confessarij  
di cernend  
dum.* Verūm sunt plurimi, qui peccatores non sunt quasi sedentarij, 44. sed quorum vita, etsi vt plurimum innoxia, maculis tamen imò & sceleribus nonnumquam inspergitur, & magno interim Sacramentorum vnu ea nituntur sepius eluere. Iis sedandis major est difficultas : nam vt puritatis sunt studiosi, ita sunt plerumque in examinando nimij, & in perperām dijudicandis actionibus faciles, imò & projecti. His ergo vt temperamentum afferamus, regulas quasdam generales porrigitur. Quarum sit

## PRIMA REGULA.

*Quantum spatiū temporis ferè impendendum sit examinandi ante Confessionem peccatis, iis qui sapè confitentur aut examen faciunt quotidianum. Item quod quantum scrupulosis.*

*Aliud est  
præparatio  
ad Confessio  
nē, aliud  
mera pec  
catorum  
disquisitio.* NE quis quæ dicenda sunt admiretur, antè omnia præparationem animi, quam Confessioni instituendæ piè utiliterque præmittimus, à merā inquisitione criminum diuidamus. Scimus enim pijs & sanctis cogitationibus, humilibusque fusis precibus, Deum admodum demereret, gratiasque ingentes elici, quibus emollitus peccatoris animus, ad scelerum agnitionem, promptamque detestationem facilius inflectatur. Quantum huic preparationi impendendum sit tempus, non definiō; neque adeò definiō debet, cùm omne impendatur fructuose. De hāc igitur præparatione posthac non ago. At verò istud affero; eos qui sapè, id est, octauo ex. gr. quoque die, sacrā Exomologesi mentem expiare sunt soliti, exorbitare omnino, si solis examinandis criminibus, ijsque distinguendis, aut memoriae quasi ex ordine mandandis, multum insument temporis. Multum autem voco, vt pressè loquar, horæ dimidium, aut etiam quadrantem solidum.

Est

